



143

# GRAVAMINA PUBLICA

Sive Contraventiones legum fundamentalium Provinciæ quas Il-  
lustrissimus per ultimas Constitutiones Ducatibus Curlandiae & Se-  
migalliae de novo provisus Dux Ernestus Joannes statim post ejusdem  
Electiōnē, ante, circa & post obtentam investituram feuda-  
lem, ante Suum lapsū in Russia & tandem post ejusdem eliberatio-  
nem circa occupationem notoriā seudi tam committendo, quam o-  
mittendo cumulavit. Itaq; Gravamina a Generoso Ordine Equeſtri  
proponenda secundum Seriem temporum Se ipſa  
discernunt.

imo.



C Ommemoratus Illusterrimus Dux Anno 1737.  
Referiptum Cancellariae procuravit pro stabili-  
enda Conventione Gedanciæ, quæ Conventio  
multa Juribus hujus Provinciæ contraria con-  
tinet, & quam ejusdem Plenipotentiarius illi-

A us tem-

143.

A

us temporis die 12. Novembris eodem anno inivit, sicut hoc plenissime probatur in deductione hic adjuncta sub litera A. Et quanquam Illustrissimus Dux in Conferentia post suum redditum celebrata, testante ejusdem concluso, ipse agnovit quod haec Conventio Juribus hujus Provinciae perniciosa & periculosa sit: At tamen ejusdem Plenipotentiarius Varsaviæ subsistens uti notorium est, ita operam suam navavit.

2do.

**U**T hæc Conventio pro basi & fundamento ejusdem novæ investituræ assumpta & ad hunc finem Constitutioni Regni inserta sit. Citatio pereemptoria Possessorum hypothecariorum bonorum Ducalium &c. erat Contraventio Jurium Provinciæ, ut & Pacti cum Nobilitate sanciti. Secundum Jura hujus Provinciæ intuitu harum possessionum non nisi contractus desuper obtenti normam dare poterant. Itaq; hæc Citatio erat non solum ambitus, sed etiam illos qui interesse ad causam habebant talibus anfractibus implicabat, qui illorum Juribus & bonis periculosi & dannosi erant; hæc contraventio legum, unde in multos incolas hujus Provinciæ maxima damna redundant, per eandem Citationem editam nunc denuo reiteratur.

3to.

**A**NNO 1739. obtinebatur Investitura feudalis contra modum investituræ feudalis ad quem Acta incorporationis Curlandie de Anno 1561. se expresse referunt, & sic contra legem fundamentalem status, 2do. contra Formulam Regiminis §. 48. cuius authoritas per Decretum contra Illustrissimos Duces Fridericam & Wilhelmum Anno 1616. latum facta est cetera. Conferatur Decretum privationis feudi datum Varsaviæ in Conventu Regni F. 4. post Festum Inventionis St. Crucis. Decretum de Telenia datum Varsaviæ in Conventu Regni generali F. 3. intra octayas Sacratissimi Corporis Christi. 3to. contra Decisiones Com-

missio-

missoriales de Anno 1642. 4to. contra Constitutionem Regni de  
Anno 1683. & contra Decisiones Commisoriales de Anno 1717.  
§. 1. harum Conclusionem, in quibus erga ejusmodi investituram  
feudalem uti moderni Ducis fuit omnia officia Ordinum hujus  
Provincie plane tolluntur, imo etiam amissio feudi expresse San-  
cta est. Ut verba in conclusione Decisionum Commisorialium de  
Anno 1717. contenta id indicant.

4to.

Praeterea Diploma hujus investituræ non est communitum Si-  
gilio Regni, & propterea in illo desiderantur duo requisita es-  
sentialia. Uti defectus investituræ & generaliter omne id quod  
circa illam in præjudicium legis ex parte sua Illustritatis præsum-  
ptum est in Deductione hic ad juncta sub litera B. prolixius expo-  
situs est, ibid; reperitur.

5to.

Anno 1739. sub data 19. Aprilis illa satis rota declaratio con-  
tra Decisiones Commisoriales de Anno 1717. per mentiona-  
ti Ducis Plenipotentiarium & Consiliarium Hartmann sub & o-  
breptilie ac ad malam Cancellariæ informationem eliciebatur, ejus-  
demq; nimis usus in Curlandia introducatur, In Deductione  
hic ad juncta sub litera C. plenissime probatur, Decisiones Commis-  
soriales de Anno 1717. nil nisi applicationes legum fundamen-  
talium esse. Cum itaq; per istam declarationem ulterior usus  
prædictarum decisionum Commisorialium sistebatur, eo ipso etiam  
ulterior applicatio legum fundamentalium impidebatur. Unde  
plenum & perspicuum est eversionem fundamenti totius status  
per hoc attentatum præparatam fuisse. Conferatur deductio  
mentionata.

6to.

Illa Concessio quam Illustrissimus Dux ad sua petita obtinuit, ut  
A2  
sibi

sibi licitum esset Petroburgi Regiminis munia expedire, est aper-  
ta infra dictio Ordinationis Regiminis, quæ poenas contra Di-  
ces Fredericū & Wilhelminū in Decretis supra commemoratis  
latas in se trahit.

7mo.

**N**ota ascensio ad fastigium Regentis Imperii Russici hunc  
Domini  
Ducem Curlandie & Principem feudarium Polonie tum  
temporis eximebat potestate Supremi & Directi, & simul Nobil-  
titati Curlandiae facultatem adimebat quam secundum Jura hujus  
Provinciae habet Gravamina contra suos. Dices proferendi, &  
contra Illos coram iudiciis Relationum uti sum no Tribunali cau-  
sam agendi.

8mo.

**I**nsequens lapsus & omnia quæ inde exorta sunt tot circumstan-  
tiis involuta sunt quæ simul sumpta ad modum sensibilia præju-  
dicia ostendunt, & quam hi haec non sunt emulo sublata præ-  
judicium ex tali regimine enascens cum prærogativis libere Nobilitatis incompatibile permanet.

9mo.

**J**N haec omnia sequebatur siquestratio bonorum Ducalium Cur-  
landie, per quam debita privata maximam in partem exoluta,  
in debita publica status commutata & Domum Ducalem Curlan-  
dicam loco in rem, tunc in detrimētum feudi per complures  
annos implicatam conspiciebamus.

10mo.

**E**T si investitura feudalis, uti supra jam expositum est, contra  
leges obtenta, & propterea Nobilitas secundum Decisiones Com-  
missoriales de Anno 1717. §. I. ab omni nexu & officio liberata  
erat: attamen sua illustritas post obtentam liberationem feudum  
occupavit Regimen & proventus Domus Ducalis sibi arrogavit. &  
qui

quidem modo in Juriis hujus Provinciae non approbato, ac propria auctoritate, ut si etiam conditiones feudi adimplevisset, ac per nulla attentata poenam privationis feudi in se traxisset, & sic optimum ius habuisset; attamen propter modum violentum quo feudi possessionem arripuit & spolium in suo commisit, hoc in casu non minus illi obstatre deberet exceptio spolii, quam Nobilitas axioma iuris: spoliatus ante omnia restituendus est pro se allegare potest.

**N**on solum occupatio feudi cum violatione Jurium Domini Supremi & Jurium hujus Provinciae praesumpta est, sed etiam sua illustritas Regimen suum omnibus aliis dissimile & Nobilitati admodum grave reddere pergit. Illustrissimi Domini Senatores a S.R. Majestate glorioissima memorie in Curiandiam missi contemptui habebantur, uti hoc notorium est. Officiales hujus Provinciae officia erga Patriam curae cordiq; habentes & alii Concives ejusdem, contra acta publica primitivæ subjectionis §. 18. & 19. contra Formulam Regiminis §. 7. & 12. contra Commissoriales Decisiones de Anno 1717. §. 2 & ad Gravamen 12. sine judiciali cognitione spoliati in acerbissimum exitium adducti sunt, dum unus Consiliarius Supremus, duo Capitandi Majores, quinq; Capitanei, tres Judiciorum Assessores & multi alii Nobiles. Bona Ducalia ex Jure pignoris ac ex locato condecto cum suis Contractibus & sic bona fide possidentes, horrendas violentias experti, suis truculentis exemplis universo publico desuper probatorem sappeditant. Hæc spolia varii generis quo etiam pertinet extorta solutio iteratu locarii, sunt e diametro contraria; Paetis subjectionis fundamentalibus, formulæ Reginis, & aliis Juriis præcipuis. Curlandia uti hoc jam supra expositum est. In quamlibet harum violentiarum & contraventionum legum, in fundamentalibus & cardinalibus Juriis amissio feudi sancta est, &

• vigore decretorum contra Duces Fridericum & Willhelnum la-  
torum ejusmodi casus jam in Judiciis ventilati ac sententiis deci-  
si sunt, & desuper sancta poena in rem judicatam abiit.

12mo. Plettenberg

**N** causa Consiliarii Regiminis a Nettenberg ejusdemq; duorum  
affinium, tanquam in causa debiti liquidi ex dispositione paterna  
orti justissimum Decisum & Monitorium die 9. Novembris Annō  
1762. expeditum est, in quod necessario insequi debuisset man-  
datum executoriale; sed Illustrissimus Dux ejusdemq; Consiliarii  
Regentes aliam priori plane contrariam resolutionem dederunt  
per quam non solum contra §. 18. Formulae Regiminis & Ordi-  
nationem processus, attentatum Manifestum commissum est, sed  
etiam partes interesse ad causam habentes & exinde damnum sen-  
tientes admodum gravatae sunt.

13to.

**S**ecundum Formulam Regiminis omnes dignitates, officia & Ca-  
pitaneatus non nisi indigenis bene possessionatis conferri debent;  
sed contra hanc legem cardinalcm Munus Cancellarii, Generoso  
Joanni Ernesto a Kloppmann collatum est, qui ornī modo con-  
sideratus in his Ducatis non possessionatus, ne dum bene posse-  
ssionatus haberi potest.

14to.

**S**ecundum Jura Divina & humana, naturalia & civilia nemo  
ex Commerciis & contra tribus detrimentum capere, multo mi-  
nus autem quisquam ex alterius calamitate & rebus afflictis vel cum  
alterius danno locupletior fieri debet. Eo magis autem Princi-  
pi Regimen Provincie habenti incumbit haec Jura observare quo  
magis ejus dignitas non ad perniciem sed ad salutem & felici-  
tatem incolarum illi collata est. Quam parum autem in nostro li-  
bero statu huic officio & debito nec non pollicitationibus & pro-  
mis-

25 ♦ ♦ ♦ 25

missis ab Illustrissimo Principe in ejusdem adventu datis satisfiat  
id demonstrant artificiose auctiones locarii bonorum Ducalium,  
sicut omnibus incolis hujus Provinciae hoc notum est. Imprimis  
autem hoc apparet ex deductione hic adjuncta sub litera D. scopus  
sub hac re latens vergit in præjudicium Domini Directi & in peri-  
culum Nobilitatis, & nemini amplius luctosus est quam illi qui  
tali modo suos proventus cum oppressione Patriotarum auget.

15to.

**M**odus procedendi contra Judicij Aulici advocationem Reichard,  
contrarius est intentioni Generosi Ordinis Equestris quam ha-  
buit, appellationem pro Advocatis Judicij aulici, & generaliter  
Securitatem pro illis personis procurando quæ illi utiliter patroci-  
nantur, & postquam media ad hunc finem in Decisionibus Com-  
missorialibus de Anno 1717. approbata & confirmata sunt, per in-  
carcerationem prænominati advocati, attentatum contra hanc  
legem cardinalem commissum est.

16to.

**N**otæ scriptæ a Celfissimis Principibus & Dominis Primate &  
Confoederationis Mareschallo ad Divum Illustrissimum Domi-  
num Oratorem extraordinarium Imperijalem Russicum datæ per  
Illustrissimi Duci Ernesti Joannis Plenipotentiarium Varsaviæ sub-  
sistenter procuratæ sunt, quæ tollunt rationem sujectionis & in-  
corporationis hujus Provinciæ Serenissimæ Reipublicæ, ac Protec-  
tionem ex Paetis primævis Nobilitati competentem dubiam red-  
dendo Dominium Supremum offendunt & adulterant fundamen-  
tum nexus cum Domino Supremo feliciter subsistentis.

17mo.

**C**opie militares Imperiales Russicæ in Curlandia commorantes  
non-

non solum in Palatio Ducali in statione eius ac vigiliis agere debent; sed etiam Illustrissimus Dux Ernestus Joannes his militibus hospitia assignavit in boris allodialibus Nobilium. Quoniam autem id contrarium est, intentioni Serenissimae & Potentissimae Imperatricis Russie & declarationi per ejusdem Ministrum iteratis vicibus facte, proinde ratio desuper reddatur predictae Aulae Imperiali. Sed quia etiam hoc attentatum Juribus Nobilitatis admodum contrariatur, ratio propterea reddenda erit Domino supremo & Directo.

180.

**L**ege Cardinales & Jura Provinciae hujus indicant quomodo Nobilitati aliquid notificari debeat, nihilominus tamen mandatum obedientiae in lingua Germanica & Lettica ex ambonis publicatum est, & multi Nobiles injuriosis Nominibus coram rusticis insigniti sunt. Quod eo magis acerbum est Nobilitati, quæ in adimplendis officiis erga suum Dominum Supremum & erga Patriam, veram Gloriam adipisci nititur.

190.

**S**ecundum leges fundamentales & Jura ac Privilegia hujus Provinciae Nobiles illorumq; subditi ab omnibus vestigalibus immunes sunt, & secundum lauda publica de Annis 1692. & 1746 omnia Gravamina ratione vestigalium aboleri debeant. atamen in diversis locis, ut Ka'nežehim, Bekerskrug, & Bauske à Nobilibus illorumq; subditis vestigalia exiguntur, sub praetextu trajectus ibidem noviter adornati.

200.

**S**ecundum leges quidem disruptis argeris angarensis facta, sed nunc iterum obstructus est, unde in contemptu legum publicarum gravamina eorum quorum interest renovata sunt.

-10-

210.



21mo.

**I**llusfrissimus Dux propria authoritate sententiam in Judicio primæ Instantiæ Mitaviensis contra mulierem propter crimen infanticidii latam sustulit, talique; modo sibi incompetenter jus aggratiandi arrogavit. Quoniam vero de ejusmodi jure, quod proprium est Regiminis absoluti in Juribus hujus Provinciæ plane nihil extat, & propterea in præjudicium salutis publicæ hæc arrogatio locum habere non potest, unde hic casus statui publico hujus Provinciæ contrariatur.

22do.

**P**ostquam Illustrissimus Dux in celebratione Judiciorum criminalium sibi locum arrogat, illisque, assidet, & hinc videri posset, ac si in Nobilium causis criminalibus ipsi votum competeteret, quod autem non solum contra usum continuum, sed etiam contra tenorem 16. §. Formulae Regiminis certat, ubi hæc verba leguntur.

„ Nobilium causæ criminales a Judicio Aulico Prin-

„ cipis, Consiliariorum adjunctis quatuor Capitaneis

„ Majoribus determinantur.

Unde hujus Juris prætensio est infraactio Formulae Regiminis

**Q**uanquam probationes omnium Gravaminum præmissorum tam in eorundem expositione quam etiam in decutionibus adjunctis contineantur, & exinde luculenter appareat quod illa nitantur contraventionibus Jurium hujus Provinciæ & imprimis pactorum primarum subjectionis. Nihilominus Generosus Ordo Equestris admodum cupit, ut Illustrissimus Dux Ernestus Joannes de hac indubitata veritate sit convictus, & in hunc finem remedium facillimum proponit, quod in eo consistit: Ut nempe Illustrissimi Ducis Consiliarii hæc gravamina articulatim cum Juribus & Frivilegiis hujus

25 ♦ ♦ ♦ ♦ 25

Provinciæ conferant, & ut inde scopus Generosi Ordinis Equestris appareat, qui noui ulterius se extendit & in eo immutabiliter subsistit: ut nempe sua Jura a Majoribus laudabiliter acquisita in Posteros suos transmittere possit.

Hoc parvum opus a quo Consiliarii Regiminis se non eximere possunt, justificabit omnino scopum Generosi Ordinis Equestris, quem habet & quem in suis Consultationibus necessario habere debet; nempe nullas contraventiones Jurium admittere nec ante illarum abolitionem se ulterius committere. Partum cum hoc Illustrissimo Duce stabilitum nostræ intentioni minimè adversatur, sed potius Generoso Ordini Equestri animum addit, ut a suis officiis nec digitum recedat. Nam in hoc pacto legitur: Quod præstatio homagii ex parte Nobilitatis non prius locum habere posset, quam omnia argumenta dubiæ securitatis ratione Jurium & Libertatum Nobilitatis plâne sublata essent, & hinc Nobilitas non prius quam hoc prius factò utri verba facti sonant, de suis Legalibus officiis juratam promissiōnem Duci dare deberet. De omnibus his veritatibus indubitatis Illustrissimus Dux per suis Regiminis Consiliarios faciliter convinci potest, & hoc facto Nobilitas sibi promittit ab Illustrissimo Duce takēm déclarationem, quæ ex hac convictione profici sci debet, & quæ Generosum Ordinem Equestrem ratione Jurium suorum securum reddit. Certo certius est, quod Generosus Ordo Equestris pro vindicandis suis Juribus violatis, nulla alia remedia eligere possit nec poterit; quam quæ legibus fundamentalibus inituntur, aut per illas justificantur.

Generosus Ordo Equestris præmissa omnia confirmat, & Divinum numen invocat super innocentiam & Justitiam sui scopi & super media ad obtinendum hunc finem eligendā. Generosus Ordo Equestris expressis verbis protestatur, quod per hoc tentamen obtinendæ ab Illustrissimo Duce déclarationis super hæc gravamina, nec contra officia erga Patriam aliquid presumere, malto minus

autem

25. ♫ ♫ ♫ 25

autem Juribus Supremi & Directi Domini quidquam derogare ullam intentionem habeat. Salva facultate augendi, minuendi, & corrigendi hoc corpus Gravaminum die 20. Martij Anno 1765. ex Conventu publico cum subscriptione Directoris expeditum & ad Domum Supremorum Judiciorum ritè translatum est.

*Heinricus Benedictus*

*A Brincken*

*p. t. Mareschallus Deputatorum.*

## INTERPRETATIO GRAVAMINUM

*Illusterrimo Ernesto Joanni, Curlandiae & Semigalliae Duci ex  
Conventu publico die 20. Martii Anno 1765. transmis-  
forum.*

Illustrissimus Dux sub praetextu ac si in his gravaminibus quædam essent injuriosa, & contra Supremi & Directi Domini authoritatem, ad eadem gravamina nullam responcionem dare voluit. Quapropter necessarium est per justam interpretationem ostendere & probare, quod hæc <sup>x</sup>interpretatio locum habere non possit.

Illustrissimus Dux a diuturna captivitate liberatus in cuncte Anno 1763. Curlandiam intrabat, ibi; contra seriam voluntatem Domini Supremi & Directi, Regimen & omnes proventus Ducales propria authoritate & violento modo sibi arrogabat.

Divus Senerissimus Rex Augustus III. non solum per Dominos Senatores in Curlandiam missos, sed etiam per seria Mandata incolas Curlandiae admonebat, ut juxta Mandatum obedientiae Anni 1759. in debita perseverarent observantia, nulli pseudo Con-

<sup>x</sup>imputatio

vocationi parerent nec attenderent, tanquam Jurium S. R. Majesta-  
tis & Republicæ lœsiæ, ab omni co-intelligentia & corresponden-  
tiâ cum exteris que se referat ad res feudi abstinerent, utq; fideles  
se præstanto, juramentis suis, Patriæ, S. R. Majestati & Reipubli-  
cæ exemplo hoc fidelitatis & strenuæ constantiæ male sentientium  
seductos spē private alicuius utilitatis animos vincerent. Sed ni-  
hilominus multi Nobiles Illustrissimi Duxis partes sequebantur, &  
non solum in Conventib; à sua Illustritate indictis comparebant;  
sed etiam illi honagium præstabant. Multi Nobiles autem bene  
possessionati, contra Mandatum obedientiæ Anno 1759. emanatum,  
contra admonitiones Dominorum Senatorum; contra voluntatem &  
Mandata S. R. M. & contra fidelitatem ac obedientiam Supremo  
ac direc<sup>t</sup>to Domino debitam; juramentoq; promissam nihil com-  
mittere volentes, ne: in Conventib; (particularibus) Districtuum  
comparebant, neq; etiam ad Conventus Provinciales à sua Illustri-  
tate indictos suos Deputatos mittebant. Proinde Illustrissimus  
Dux solummodo cum Nobilibus partes ejis sequentibus Conven-  
tus publicos celebrabit, in quibus etiam nonnulla in præjudicium  
& damnum absentium Nobilium constituebantur. Unde maxi-  
ma dissensiones, inimicitiae & persecutio[n]es utrinq; oriebantur, per  
quas securitas & tranquillitas publica eo magis exagitabatur, quo ma-  
gis Illustrissimus Dux Nobiles ad obedientiam sibi præstandam a-  
digere volens, complures illorum officiis publicis & possessionibus  
spoliabat.

Omnia quæ hucusq; relata sunt acciderunt vivente & regnante  
iduc Divo Serenissimo Rege Augusto III. Postquam autem per  
ultimas Constitutiones Illustrissimus Ernestus Joannes pro Duce  
Curlandia declaratus, & postquam Moderni Serenissimi & Poten-  
tissimi Regis Stanislai Augusti Mandatum obedientiæ hoc anno in  
Curlandia publicatum est, omnes Nobiles qui antea ex supra al-  
legatis justis rationibus nullis Conventibus interesse poterant, hi

non

22

non solum in Conventibus particularibus Districtum comparebant; sed etiam ad Conventum Provincialem a sua Illustritate inditum & usq; ad diem 5tum Martii limitatum suos Deputatos mittebant. Cum vero ex Conventu publico Illustrissimo Ducis gravamina die 20. Martii transmittenentur, Illustrissimus Dux uti jam supra dictum est nullam responsione ad ista gravamina dare voluit.

*Interpretatio Gravaminum 1. & 2.*

Præter alia Juribus Nobilitatis contraria, quæ in Conventione Gedanensi Anno 1737. facta continentur, etiam Illustrissimo Ducis facultas concessa est bona allodialia Domus Ducalis Kettlerianæ prævia taxatione vendendi, aut sub allodiali qualitate sibi appropriandi. Ut autem Illustrissimus Dux plenissimum Dominium istorum bonorum per Decretum aut sententiam coram iudiciis Relationum S. R. Majestatis obtinere posset, non solum Anno 1738. sed etiam hoc anno currenti iterum Citationem Edicalem procuravit per quam ad instantiam Generoforum Instigatorum citati sunt omnes Domus Ducalis Kettlerianæ substantiae prætendentes, Creditores &c. ut Documenta & instrumenta, obligacionesq; quas ad bona Feudi Domumq; Dualem Kettlerianam & Illustrissimi Ducis Ferdinandi substantiam habere prætendunt producant. Postquam autem per substantiam Domus Ducalis Kettlerianæ, & Illustrissimi Ducis Ferdinandi nihil aliud, nisi bona allodialia à Nobilibus in Curlandia coempta intelligi possunt, fas apertum & clarum est Citationis Edicantis fundamentum esse, Conventionem Gedanensem.

Quoniam autem haec bona allodialia ad Vexillum Nobilitatis pertinet de quibus Nobilitas Domino supremo & Directo servitia equestria præstare, & alia onera publica sufferre debet. Proinde Generofus Ordo Equestris optimo Jure prætendit, ut ista bona allodialia, quæ ad feudum non pertinent iterum Nobilibus

25 26 27 28

pro justo pretio retrovendantur. Hinc necessario primum Gravamen contra Conventionem Gedanensem, & secundum gravamen contra Citationem Edictalem formari debuit.

*Interpretatio Gravaminum 3. & 4.*

In Gravamine tertio demonstratur quo i Illustrissimi Ducis prima Investitura Anno 1739. obtenta fuerit illegalis, & imperfetta, ex qua non nisi jus imperfectum habebat, & in gravamine quarto exponitur, quod sua Illustritatis Diploma Investiturae non fuerit munitum sigillo Regni, id quod tamen est contra Constitutionem Anni 1589. in qua continetur, quod Privilegia & literæ aliæ ad Livoniam pertinentes, irritæ sint, nisi habeant duo sigilla, quod etiam de Curlandia, uti parte Livonij intelligendum est.

Hos defectus Generosus Ordo Equestris in eum finem allegare debuit, ut demonstrare posset Illustrissimo Duci à diuturna captivitate liberato, priusquam per ultimæ Constitutiones pro Duce Curlandiae declaratus esset, non licuisse ex Jure imperfecto, contra seriam voluntatem Domini supremi & Directi propria autoritate et violento modo Anno 1763. in Curlandia Regimen & omnes proventus Ducales sibi arrogare, incolas contra Jura & Privilegia hujus Provinciae violentis mediis ad obedientiam sibi praestandam cogere, ac tali modo securitatem & tranquillitatem publicam turbare. Præfetim, cum secundum Decisiones Commissoriales de Anno 1717. ad Gravamen 2. eo in casu quando Princeps iuramentum fidelitatis homagiumq; in propria persona non praesit, Nobilitas ab obedientia Principibus investitis praestari solita absoluta sit.

*Interpretatio Gravaminis 5.*

Gravamen quintum agit de declaratione seu de Rescripto Anno 1739. die 19. Aprilis contra Decisiones Commissoriales ad finitam informationem obtenta.

Ad

❧ ♫ ♪ ♫ ♧

Ad humillima petita Generosi Ordinis Equestris Curlandiae per Constitutionem Anni 1717. certi Domini Commissarii Constituti fuerunt, qui in Curlandiam se conferebant, ibique secundum Constitutionum illis datum has Decisiones Commissoriales Authoritate S. R. M. & Reipublicae in perpetuum legis vigorem constituebant & promulgabant. Traditur quidem, ac si Divus Illustrissimus Dux Ferdinandus de his Decisionibus appellationem interposuisse, & contra Generosum Ordinem Equestrem sententias contumaciales obtinuisse. Sed verissimum est Divum Duxem Ferdinandum hanc appellationem non ulterius prosecutam esse, & hinc propter desertam appellationem has Decisiones Commissoriales jam a multis annis vires rei judicatae obtinuisse, priusquam adhuc Illustrissimus Dux Ernestus Joannes ullam spem hujus feudi obtinendi haberet.

Præterea: modo dictæ Decisiones Commissoriales a tempore promulgationis, hoc est ab Anno 1717. jam ultra quadraginta & octo annos in Curlandia receptæ, ac semper in pleno usu & auctoritate fuerunt, ut etiam Consiliarii Supremi & omnes Capitanei Majores & Minores, nec non alii officiales in juramentis ante ingressum officii praestans jurare & promittere debuerint, quod Decisiones Commissoriales observare vellent. Et postquam per Constitutionem Anni 1736. omnia jura & Privilicia Curlandiae sine ulla exceptione confirmata sunt, planè nullum est dubium sub hac generali confirmatione, etiam has Decisiones Commissoriales contineri.

Post hanc Confirmationem nomine Illustrissimi Duci Ernesti Joannis, supra allegata declaratio sive Rescriptum ad sinistram informationem Anno 1739. die 19. Aprilis procuratum est, & quidem illo tempore, quo Illustrissimus Dux nondum erat investitus, & hinc nullum jus agendi habuit. Nam ejus prima investitura postmodum die 11. Junii eodem 1739. Anno per ejus Legatum obtenta est.

Por-

¶ ¶ ¶ ¶

Porro etiam traditur, ac si in his Decisionibus Commissorialibus quædam in derogationem Jurium Regalium à Supremo Domino Ducibus Curlandiæ concessorum continerentur; sed hoc assertum nunquam probari potest. Nam omnia Regalia sunt expressa in Diplomatibus seu literis investituræ Ducalis, ut & in Formula Regiminis; quæ autem in his monumentis non inveniuntur, illa Duxes Curlandiæ sibi de jure arrogare non possunt. Et in sepe commemoratis Decisionibus contra hæc Regalia plane nihil constitutum est.

*Interpretatio Gravaminis 6.*

Quoniam Illustrissimus Dux ad sinistram informationem Rescriptum obtinuit, ut ipsi licitum esset Petroburgi manere ibiq; Curlandiæ Regiminis munia administrare, & quoniam hoc erat direc̄te contra Formula Regiminis §. 4. proinde Generosus Ordo Equestris hoc ipsum silentio præterire non potuit.

*Interpretatio Gravaminis 7.*

In hoc gravamine ostenditur periculum in quo tum temporis Nobiles ratione Jurium, & Privilegiorum suorum versabantur, cum Illustrissimus Dux Dignitatem Regentis Imperii Russici gerebat

*Interpretatio Gravaminis 8.*

Per lapsum, ejusq; circumstantias in hoc gvo. gravimine expressas nihil aliud intelligi potest: nisi Illustrissimi Ducis degradatio à Dignitate Regentis Imperii Russici, & sententia condemnatoria in Supremo Judicio Petroburgi Anno 1741. contra illum lata. Hæc sententia condemnatoria cum gravibus imputationibus & rationibus decidendi per edictum Imperatoris Anno 1741 die 17. Aprilis stili veteris emanatum & Typis impressum undiq; publicatum & ad huc in complurium manibus est, ac in diversis libriss historicis reperitur.

*Interpretatio Gravaminis 9.*

In Constitutione Anni 1736. constitutum est, quod noviter in

25

feudandus Dux Curländia bona, mensa Ducalis à debitis quibus onerata erant liberare, & in rem ac utilitatem feudi reluere deberet. Illustissimus Dux quidem ab initio magnam partem horum debitorum exsolvebat, sed non diu postea insequebatur ejusdem infortunium, & Aulæ Imperialis Russiæ propter maximas prætensiones, ex supra allegata sententia condemnatoria promanantes, majorem partem bonorum mensalium Domus Ducalis Curländia sub titulo feuerstri occupabat, illorumq; proventus per octodecim annorum seriem suos faciebat. Unde in hoc gravamine dicitur, quod debita privata majorem in partem exsoluta, in debita publica status transmutata, & quod Domus Ducalis Curländica, loco in rem, tunc in detrimentum feudi implicata fuisset. Maximum enim periculum aderat: ne haec Provincia a Supremo & Directo Dominio S. R. Matis & Serenissimæ Republicæ Polonæ plane avelletur.

*Interpretatio Gravaminis 10.*

Etsi propter rationes in Gravamine tertio & quarto supra allegatas Illustissimus Dux ab omnibus violentiis abstinere debuisset; attamen his non obstantibus Illustissimus Dux propria Authoritate & violento modo Regimen, & omnes proventus Ducales hujus Provinciæ occupavit, taliq; modo spolium commisit. Hoc gravamen Generosus Ordo Equestris proter sequens gravamen undecimum formare debuit.

*Interpretatio Gravamnis 11.*

Nam si Illustissimus Dux Regimen & omnes proventus Ducales propria authoritate non occupasset, non habuisset occasionem per violentia media incolas Curländia ad obedientiam sibi præstandam cogere, Nobiles sine justa legitimaq; causa, & sine Judicio officiis publicis privare, alios Nobiles bonorum Ducalium bonæ fidei possessores spoliare, & deniq; alios ad iteratam solutionem locarii adigere, ac contra Jura & Privilegia Nobilitatis, ut & con-

tra justitiam & æquitatem maxima **damna Nobilibus** inferre.

*Interpretatio Gravaminis 12.*

Secundum Jura Curlandica in debitis liquidis & manifestis non Processus Ordinarius sed processus executivus locum habere debet. Generosus a Plettenberg Consiliarius Regiminis detrectabat suis sororibus Germanis sive illarum liberis legata a Patre relicta exsolvere. Quoniam vero hoc erat debitum liquidum, ex dispositione Paterna ortum, proinde ad illum expediebatur Mandatum Monitorium die 9. Novembris Anno 1763 extraditum. Ut intra tempus lege determinatum legata exsolveret, sub comminatione, quod in casum inobedientiae Mandatum executionis contra illum emanaret. Quapropter secundum normam processus executivi, elapsis fatalibus necessario expediri debebat Mandatum executionis; sed Illustrissimus Dux ad petit Generosi a Plettenberg dedit Resolutionem priori Mandato Monitorio directè contrariam & hanc causam liquidam ad Judicium ordinarium remittebat. Quia vero statui publico maxime damnosum est quod causæ, in quibus nulla probatio amplius requiritur in judicio ordinario per longum tempus ventilari & cum maximis sumptibus usq; ad Supremam Instantiam per appellationem protrahi possint. Proinde ex hac ratione gravamen duodecimum formari debuit.

*Interpretatio Gravaminis 13.*

Non solum secundum Formulam Regiminis §. 1. Officia publica Nobilibus bene possessionatis conferri debent; sed etiam in Decisionibus Commissorialibus de anno 1717. ad Gravamen 12. hæc lex renovata, & simul constitutum est: quod omnes officiales juxta leges & consuetudines patriæ, tempore collationis & subeundi officii jami debeat esse bene possessionati, Etne impossessionatis officia conferantur sub nullitate prohibitum est. Quoniam vero Generosus a Klopman, nullas possessiones habens in Cancellarium denominatus est, nullum est dubium ejus officium laborare vitio nullitatis.

Tra-

❀ ❀ ❀ ❀ ❀

Traditur quidem, ac si Generosus a Klopman: postea quam hoc Gravamen contra illum formatum fuit, sibi quandam possessionem pignoratitiam comparaverit. Sed hoc est contra legem, que vult ut Officiales tempore collationis jam sint bene possessionati. Notissima etiam est Regula Juris; quidquid ab initio fuit vitiosum seu invalidum, illud ex post facto convalescere nequit. Praeterea possessio pignoratitia est possessio temporaria, propter quam nemo bene possessionatus haberi potest.

Proinde hoc gravamen aliter aboleri non potest nisi Officium Cancellariatus secundum Formulam Regiminis §. 2. alii Nobili Viro docto, ad obeundum sustinendumq; illud munus idoneo, & bene possessionato conferatur.

*Interpretatio Gravaminis 14.*

Non solum Illustrissimi Duces anteriores Stirpis Kettlerianæ ab antiquis temporibus Generoso Ordini Equestris promiserunt quod bona Ducalia Nobilibus administranda dare, aut cum contractu locati conducti conferre vellent; sed etiam Illustrissimus Dux Ernestus Joannes, in Pacto cum Nobilitate anno 1737. inito: iterum promisit, quod bona Ducalia non nisi Nobilibus concredere vellet.

Illustrissimus Dux quidem hæc bona cum Contractibus locati conducti Nobilibus confert, sed non nisi plus offerentibus, & quia per subornatas personas ultra modum plus licitatur, Nobiles in possessione istorum honorum existentes propriasq; possessiones non habentes summam licitam cum maximo damno quoq; offerre, aut huic flebili beneficio renunciare debent. Necesse est itaq; ut Nobiles subinde pauperiores fiant, & tandem plane ad incitas redigantur.

*Interpretatio Gravaminis 15.*

Advocati aulici sunt Patroni causarum qui Nobilibus coram Iudiciis patrocinantur, illisq; a consiliis sunt, & quibus Nobiles sua documenta & acta concredunt, unde admodum necessarium est, ut

hi Advocati omni modum habeant securitatem, ne propter metum illis  
inje~~ctum~~ Nobiles eorum Patrocinio destituantur, & ne etiam Do-  
cumenta illis concredata periculo subsint. Quoniam vero Illustrissi-  
mus Dux propter admodum levem causam Advocatum aulicum  
Reichart incarcerare jussit, proinde Generosus Ordo Equestris se gra-  
vatum fensit.

*Interpretatio Gravaminis 16.*

Gravamen decimum sextum est directum contra Illustrissimi Du-  
cis Plenipotentiarium, Varsaviæ subsistentem. Siquidem in Cur-  
landia relatum est, ac si modo dictus Plenipotentiarius istas no-  
tas de quibus in hoc gravamine mentio facta est procurasset.

*Interpretatio Gravaminis: 17.*

Secundum Privilegia Nobilitatis hujus Provinciae Illustrissi-  
mis Ducib<sup>us</sup> nulla facultas competit: Nobiles ullo onere agravare.  
Quoniam vero Illustrissimus Dux non dubitavit militibus Russicis  
qui in ejusdem Palatio in statione esse & excubias agere debent,  
hospitia in bonis allodialibus Nobilium assignare, proinde Nobili-  
tas jam in duobus Conventibus publicis desuper conquesta est. Sed  
Illustrissimus Dux nihilominus adhuc ulterius pergit, prædicto  
modo Nobiles aggravare.

*Interpretatio Gravaminis 18.*

Mandatum obedientiae non solum in Germanica sed etiam let-  
tica lingua ex ambonis publicatum est, in nullum alium finem quam  
ut Nobiles qui antea ex justis rationibus ad voluntatem suæ Illu-  
stritatis se conformare non potuerunt tanquam refractarii qui poe-  
nas promeruissent, coram hominibus plebejis & rusticis publice  
perstringerentur, qua propter desuper gravamen formari de-  
buit.

*Interpretatio Gravaminis. 19.*

In Gravamine decimo nono Generosus Ordo Equestris con-  
que-

❧ ♦ ♦ ♦ ♦

queritur, quod contra Jura & Privilegia hujus Provinciae nova ve-  
tigalia constituta sint.

*Interpretatio Gravaminis 20.*

In legibus Curlandiæ in usum Nobilitatis constitutis prohibi-  
tum est, effluxum ex stagnis ad piscandum cuilibet, liberis, molendino  
aut alio obstaculo præpedire, quo minus pisces liberimum ac-  
cessum & recessum habere possint. Illustrissimus Divus Dux Fride-  
ricus Casimirus in effluxu liberi Stagni Angarensis, molandinum a-  
quaticum ad usum Officinæ ferrariæ poni curavit. Quoniam et-  
tiam modo dictum Stagnum Angarensse quotannis se magis exten-  
dit, & circum circa agros, prata & silvas inundationibus absorbet, No-  
biles quorum bona hoc stagnum attingit, & qui exinde magna da-  
mma sentiunt, crediderunt, ac si molandinum in effluxu hujus sta-  
gni positum, aquæ effluxum ex stagno præpediret, & quod ex hac  
causa inundationes orirentur. Quapropter prædicti Nobiles jam ab  
Annô 1684. sæpius in Conventibus publicis contra prædictum mo-  
landinum conquesti sunt, & constantissime usurperunt, ut hoc molen-  
dinum & omnia opera in effluxu stagni posita tollerentur. Ex qua  
ratione Generosi Consiliarii Supremi Regentes aliquot ab hinc an-  
nis debuerunt Mandatum dare: ut hoc molandinum cum omnibus  
operibus in effluxu stagni positis toleretur. In hoc Gravamine vi-  
gesimo autem Nobilitas iterum conqueritur, ac si modo dictus efflu-  
xus ex stagno Angarensi denuo obstruētus esset.

*Interpretatio Gravaminis 21.*

Omnia Regalia Illustrissimorum Ducum Curlandiæ, in literis  
Investiturarum Ducalium, ut & in Formula Regiminis expressa sunt.  
De jure autem homines facinorosos & per sententiam Judicis con-  
demnatos, a poena illis adjudicata liberandi sive aggratiandi nihil  
reperitur. Quoniam vero Illustrissimus Dux, hoc jus aggrati-  
andi, occasione mulieris propter crimen infanticidii condemna-

tæ exer-

‡ ‡ ‡ ‡

ta exerceuit, proinde Nobilitas in gravaminibus desuper mentionem facere non intermittere voluit.

*Gravamen 22.*

Hoc gravamen per se clarum est & nulla interpretatione indiget.

Gravamina 6, 7, 8, & 9, concernunt quidem res gestas præteritorum temporum, de quibus dici posset, quod factum infestum fieri nequiret. Quoniam vero Generoso Ordini Equestri Curlandijæ secundum Jura Cardinalia hujus Provinciæ incumbit, coniunctim cum Illustrissimo Duce pro communi salute Patriæ curam agere, ac omnia pericula & præjudicia avertere, proinde omnino necessarium fuit has res gestas anteriorum temporum, quæ in periculum & præjudicium hujus Provinciæ acciderunt, inter gravamina referre, ne futuro tempore periculosa præjudicia exinde oriantur, & ut nemo allegare possit, ac si hæc attentata contra Jura & Privilegia hujus Provinciæ præsumpta tacendo approbata fuissent.

Hæc Interpretatio Gravaminum satis superq; demonstrat & probat, quod in illis plane nihil injuriosi, neq; aliquid contra Supremi & Directi Domini Authoritatem contineatur, & quod Illustrissimus Dux absq; ulla ratione hæc Gravamina abolere, & responsionem ad illa dare recusaverit.

